



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones à Clemente X. & Innocentio XI. editas

Luxemburgi, 1739

LVIII. Indictio Universalis Jubilæi Anni Sancti 1675.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74708)

† *Ego Petrus S. Mariae in Dominica Diaconus Cardinalis Basadonna.*

†
†

I. G. Signus:

Visa de Curia S. de Pilastris.

D. Cyprianus:

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Præsentes Literæ Apostolicæ die Veneris 20. Aprilis 1674. præsentatæ, & admittæ fuerunt in Camera Apostolica, & registratæ in libro primo Signaturarum Sanctiss. D. N. Papæ Clementis X. fol. 64.

Matthæus de Angelis Rev. Cam. Apost. Secretar., & Cancell.

Anno à Nativitate Dom. Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto, Indictione duodecima, die vero 21. Apr., Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ X. anno ejus Quarto, præsentæ literæ Apostolicæ lectæ, affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranen. Principis Apostolorum, Sanctæ M. Majoris, & Cancellariæ Apost. per nos Jo. Antonium Scajolan, & Jo. Græcum prælati SSimi D. N. Papæ Curiores.

Laurentius Signus Mag. Curf.

Præsentatio, & admittio præsentium literarum in Cam. die 20. Aprilis 1674.

Fides publicationis.

LVIII.

Indictio Universalis Jubilæi Anni Sancti 1675.

CLEMENS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI,

Universis Christianis presentes literas inspectionis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Proœmium.

AD Apostolicæ vocis Oraculum, è militantis Ecclesiæ specula evangelizantis Orbi Christiano, gaudium magnum: Tempus nimirum acceptabile, dies salutis, in quibus è mystica Fidei petra, uberiore proventu decurrunt fluentia aquæ salientis in vitam æternam, lætamini populi, exultate gentes, & ad Sanctam in Terris Civitatem Dei, certatim accurrite, ut videatis voluptatem Domini, & visiteris Templum ejus. Appropinquat scilicet annus Jubilæi, annus remissionis, & gratiæ, annus placabilis, & Sanctus, cujus solemnitate ex veteri divinitus tradita Hebræorum disciplina, ut quinquagesimo quoque anno recolerent exitum Domus Jacob de populo Barbaro, sapienter derivatam, more prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum celebratur sumus, Mysterio tamen eo sublimiore, quo Cælestia, & æterna, quæ à lege gratiæ conferuntur, terrestribus, & caducis antecellunt, quæ lex illa servitutis, figura & umbra novi Testamenti, pollicebatur; pro mortali enim patria, pro fundis paternis, pro corporis libertate, quam Hebræi illo anno recuperabant; renovantur hac recurrente celebritate Christianifideles spiritu libertatis, per quem vocantur in adoptionem filiorum Dei, & roborantur spe beatæ illius patriæ, & æternæ hereditatis, à qua per prævaricationem primi Parentis exciderant. Quamvis enim nullum sit tempus, in quo Fidelibus penitentiam agentibus non præsentur Cælestis Indulgentiæ dona, deprompta ex infinitis Christi passionis, & mortis meritis, omniumque Sanctorum; hac tamen festivitate, quasi in quadam plenitudine temporis, largiore manu tribuuntur, dum spiritualis Aerarii, & Ecclesiastici Theauri portæ latissime referantur.

§. 1. Agite ergo, filii dilectissimi, & Romanæ Ecclesiæ plena de materno sinu ubera exeren-

tis, atque omnes, qui laborant, & onerati sunt, ad se, ut eos reficiat, invitantis vocem secuti, peregrinationem hanc sacram læti suscipite. Si enim ob incertam alicujus temporalis, fluxiveque lucris spem, non dubitatis, aliquando difficile, & longinquum ad barbaras Terras, vel iniquissimo anni tempore, iter ingredi, & vitam, fævis, per ignota maria, tempestatibus, ventisque committere, qua tandem alacritate proficisci par est ad amœnas, atque hospitales Latii plagas, certa spe, si per vos non steterit consequendi Thesauros non deficientes in Cælo, quos neque arugo absomit, neque tinea? Ad sanctam hanc Hierusalem, Matrem Ecclesiarum, Fontem Religionis, Magistram Gentium, Regiam sanctitatis, invitant vos tot egregia per eam sparsa præcæ pietatis, & sanctimoniam monumenta: Invitant Sanctissimorum Pontificum, & Martyrum invictissimorum Sepulchra: invitant toto Orbe clarissima Apostolorum trophæa, cum quibus nulla veteris illius victricis Gentium Romæ trophæa sunt conferenda: Ipsa denique Sacrosanctæ Passionis Dominicæ Instrumenta; quorum adorandorum causa præcæ illi fideles ex ultimis Terris Palæstinam petebant, è Palæstina huc olim adducta, quasi amoris pignora, quo diligit Dominus portas Sion super omnia Tabernacula Jacob, vos amanter invitant. Excitami ad hæc, & venite alacriter, filii promissionis, in Parentis gremium, Oves Domini gregis, in Pastoris amplexus. Atque utinam precibus, quas ex intimis Paternæ Charitatis præcordiis continenter effundimus exorata Divina Bonitas aliquando secundet spem, quæ aliquot abhinc lustris affulgere visa est, reducendi ad Christi Ovile, extra quod non est salus, tot Nobilissimas Christiani Orbis Provincias, longe optimis artibus, virisque florentes, quas Patrum nostrorum memoria, ab unitate Romanæ Ecclesiæ, infœlix dissidium, & malus error abduxit. Quam libenter omnes Paterno sinu complecteremur. Quantas Patri misericordiarum gratias ageremus, quod dies nostros ad tam grave senium protulisset, ut videremus salutem Dei, antequam in pace dimitteret servum suum.

§. 2. Vos autem charissimi in Christo filii, Reges, & Principes, luminaria magna Ecclesiæ Dei, per quem regnatis, si conditio temporum non patitur, vos pia majorum nostrorum studia æmulantes, sacrum hoc iter institute; de subjectis vestris, aliisque Romam petentibus parate viam Domini, præbete tuta, & pacata itinera, & omnis generis comœtus, ne aliqui luceant viæ Sion, eo quod non sit qui veniat ad solemnitatem. In primis vero, quod nos jampridem omni Pastoralis sollicitudinis, & paternæ charitatis Officio, tum à vobis per literas, & Nuncios nostros, tum à pacis auctore Deo jugi prece efflagitamus; ponite aliquando iras populis vestris graves, rei Christianæ publicæ luctuosas; Congregamini cum Deo Abraham, & bella Domini præstantes, vertite arma in immanes Barbaros, inclyto Poloniæ Regno, aliisque Christianis Provinciis, terra marique imminentes. Eos enim clades, quantumvis magna, memorabilisque ad Tyram annem nuper accepta, irritavit potius quam fregit: nisi percussis instet victor exercitus, & triumphis assuetus, nosque post opem divinam diu, ac suppliciter imploratam, quamprimum communem causam; commune periculum, communibus quoque studiis, armisque tueamur.

§. 3. Nos igitur per traditam nobis à Deo, qui infirma mundi eligit, ut fortia quæque confundat, una cum sollicitudine omnium Ecclesiarum, ligandi, atque solvendi potestatem, quæ in digno hærede non deficit, Sanctissimis prædecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, eorumque laudabile institutum tenentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium

Monet ex pluribus Christianifidelibus ad accedendum ad Urbem.

Vota SS. Pontificis.

Monet Reges, & Principes, ut præbeant tuta, & pacata itinera, ac omnis generis comœtus.

Indicit SS. Pontifex universale Jubilæum Anni Sancti.

assenfû;

assenſu, univerſalis, & maximi Jubilæi celebra-
tionem à primis veſperis Vigiliæ Nativitatis Do-
mini noſtri Jeſu Chriſti proximæ futuræ inchoan-
dam, & per totum annum finiendam Auctori-
tate Dei Omnipotentis, & Beatorum Apoſtolo-
rum Petri, & Pauli, ac noſtra, maximo cum
animi noſtri gaudio, ad ipſius Dei gloriam, San-
ctæ Eccleſiæ exaltationem, hæreſum extirpationem,
Catholicorum Principum concordiam, Chriſtianorumque omnium populorum ſolacium,
& ſanctificationem, indicimus, & promulgamus;
Quo ipſo Jubilæi anno durante, omnibus utrius-
que ſexus Chriſtifiſidelibus, vere penitentibus, &
confeſſis, qui Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolo-
rum, necnon Lateranenſis, & Sanctæ Mariæ
Majoris de Urbe Baſilicas ſemel ſaltem in die
per triginta continuos, aut interpolatos dies, ſi
Romani, vel incolæ Urbis; ſi vero peregrini,
aut alias externi fuerint, per quindecim ſaltem
dies, devote viſitaverint, & pro Sanctæ Eccle-
ſiæ exaltatione, hæreſum extirpatione, Catholi-
corum Principum concordia, & Chriſtiani Populi
ſalute, & tranquillitate pias ad Deum preces
effuderint, pleniffimam omnium peccatorum ſuo-
rum indulgentiam, remiſſionem, ac veniam,
miſericorditer in Domino concedimus, & im-
partimur. Et quoniam evenire poſteſt, ut ex
eis, qui hac de cauſa iter aggreſſi fuerint, vel ad
Urbem ſe contulerint, aliqui in via, aut etiam
in ipſa Urbe, morbo, vel alia legitima cauſa im-
pediti, aut morte præventi, præſinito dierum
numero non completo, ac nequidem fortalte in-
choato, præmiſſa exequi, & dictas Baſilicas vi-
ſitare nequeant; Nos piæ, promptæque illorum
voluntati, quantum in Domino poſſumus be-
nigne favere cupientes; eosdem vere peniten-
tes, & confeſſos prædictæ Indulgentiæ, & remi-
ſſionis participes, perinde fieri volumus, ac
ſi dictas Baſilicas diebus à nobis præſcriptis vi-
ſitaſſent.

Cunctis Ec-
cleſiæ Præla-
tis Anni San-
cti publica-
tionem man-
dat.

§. 4. Vos autem, Venerabiles Fratres No-
ſtri, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, &
Epiſcopi in partem ſolicitudinis noſtræ vocati,
Duces, & Paſtores Populorum, Lux mundi, &
Sal terræ, capite Tubas argenteas, quarum
uſus eſt in Jubilæo, ideſt adhibete prædicationem
verbi Dei, & annunciate Populis hoc gau-
dium, ut ſanctificentur, & Dei juvante gratia
parati ſint ad ea cœleſtia dona capienda, quæ
bonorum omnium largitor Deus filiis dilectio-
nis per miniſterium humilitatis noſtræ præparavit:
adducite verbo, & exemplo parvulos ad hu-
jus chariſſimæ Matris ubera, quæ eos per Evan-
gelium in Chriſto genuit. Adducite filios ad Pa-
trem, oves ad Paſtorem ſummum, membra ad
Caput, fideles ad Fidei petram, in qua omnis
ædificatio Catholicæ Eccleſiæ conſtructa conſur-
git. Ad Sacras igitur Indulgentias, earumque
ſalutares fructus, ipſo Jubilæi Anno Romæ per-
cipiendos, vocate cœtum, congregate Populum,
ſanctificate Eccleſiam; docete gentes Fidei ve-
ſtræ creditas, quia advenæ, & peregrini ſumus
in hac vita, & Civitatem in terris permanen-
tem non habemus, ſed in Cœlis æternam in-
quirimus. Quia vero breves dies ſunt hujus no-
ſtræ calamitoſæ peregrinationis, & neſcimus qua
hora Pater familias venturus ſit; idcirco vigilent,
& lampadas ardent, plenaſque oleo Charita-
tis, & miſericordiæ portent in manibus, & in
beatam illam requiem ingredi feſtinent.

Hoc præci-
pue anno Vi-
tæ Sanctimo-
niam Chriſti-
fidelibus
commendat.

§. 5. Nam ſi unquam alias nunc potiffimum
iræ, contentiones, & odia dimittenda propter
Chriſtum: Nunc maxime ſervos decet miſereri
conſervorum ſuorum, ut Dominus Clementiſſi-
mus omne debitum eis dimittat: nunc præci-
pua puritatis, & innocentæ cura habenda, ut
Templum Dei mundum efficiatur, & unuſquiſ-
que vas ſuum poſſideat in honore, & ſanctifi-
catione; & portet Deum in corpore ſuo. Sec-

lera inſuper, & peccata omnia, malaſque cogi-
tationes è cordibus eorum penitus exterminan-
da, ut cœleſtis ira placetur, & Chriſtiano No-
mini, in quo gloriantur, moribus, factiſque
reſpondeant. Docete autem eos, quemadmo-
dum ad ſalutares Indulgentias conſequendas in
animo contrito, & in ſpiritu humilitatis, aſſi-
duis orationibus, & jejniis, cæteriſque pietatis
operibus, ſe ipſos præparare, atque exercere
debeant: & qui ſubſtantias hujus mundi habent,
aperiant viſcera ſua, & Fratrum ſuorum pau-
perum inopiam ſublevant; præcipue vero erga
peregrinos Romam venientes miſericordes ſint,
& Sanctam hoſpitalitatem Deo gratiſſimam, &
quam vetuſtiſſimi illi Chriſtiani, etiam inter
perſecutionum fluctus, diligentiffime coluerunt,
ipſi quoque multa cum hilaritate ſpiritus renovent,
atque obſervent.

§. 6. Admonete etiam eos, ut orent pro Re-
gibus, & Principibus Chriſtianis, ut quietam,
& tranquillam vitam agant, & pax inter eos, &
concordia coaleſcat, & conſervetur. Poſtremo
docete eos, cum Sanctam peregrinationem ſuſ-
ceperint, qua modeſtia, qua devotione, qua
Fraternæ pacis obſervantia præluce eos oporteat,
ut ſint Chriſti bonus odor in omni loco,
& unuſquiſque ita componere ſe conetur, ut faci-
ciem plane præferat euntis in Hieruſalem. Præ-
bete autem vos ipſos, Venerabiles Fratres, &
omnem Clerum exemplum in primis bonorum
operum, & formam gregis, ut veſtræ virtutis,
& religionis, veluti ſale, cæteri condiantur, at-
que ita omnes unanimis in uno ſpiritu Chriſtianæ
Charitatis, atque in omni Sanctitate, & juſtitia
Deo ſerviamus.

§. 7. Hortamur quoque, & rogamus in Do-
mino chariſſimos in Chriſto filios noſtros Im-
peratorem Electum, ac Reges, & Principes om-
nes Catholicos, ut quo plura, & magis illuſtria
beneficia ab eo, per quem Reges regnant, acce-
perunt, tanto ardentius, ut par eſt, ad Dei glo-
riam procurandam, pro Zelo excitentur, præ-
cipue vero Venerabilium Fratrum noſtrorum Pa-
triarcharum, Primatum, Archiepiſcoporum,
& Epiſcoporum paſtoralem ſedulitatem, & vigi-
lantiam adjuvent, & à ſuis Magiſtratibus, & Mi-
niſtris, adjuvari mandent, ut improborum li-
centia coerceatur, & bonorum ſtudia, eorum
Regia ope, & gratia foveantur: maxime autem
erga Peregrinos beneficentiam, & liberalitatem
exerceant, curentque, ut tutis incedant itineri-
bus, & nulla hominum perditorum vexatione
perturbentur; ſed Hoſpitalibus, Domibus, & pu-
blicis Hoſpitiis, amanter excipi, ut comiteatu,
& rebus ad vitam neceſſariis recreati, ſine ulla
concuſſione, & injuria inſtitutum iter lati pera-
gant, & cum gaudio in patriam revertantur.
His enim hoſtiis Reges potiffimum, & Principes
Deum ſibi placabilem reddent, ut diu in terris
felices vivant, & demum in æterna Tabernacula
recipiantur ab illis ipſis pauperibus, erga quos
miſericordiam exercuerint, in quibus Chriſtus
paſcitur, & nutritur.

§. 8. Ut vero præſentes literæ ad omnium
fidelium quibuſcumque locis exiſtentium noti-
tiam facilius perveniant: volumus earum exem-
plis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſub-
ſcriptis, ac perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica con-
ſtitutæ ſigillo munitis, eandem proſus fidem
haberi, quæ haberetur ipſis præſentibus ſi exhibi-
tæ forent, & oſtenſæ.

§. 9. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc
paginam noſtræ Indictionis, promulgationis, con-
ceſſionis, impartitionis, hortationis, rogatio-
nis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temera-
rio contraire. Si quis autem hoc attentare præ-
ſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac
Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe no-
verit incurſurum.

Quanta de-
votione hæc
S. Peregrina-
tio ſuſcipien-
da ſit præſcri-
bit.

Hortatur
Principes, ut
Antiftitum
vigilantiam
adjuvent.

Tranſumptio-
rum fides.

Sanctio po-
nalis.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto, sextodecimo Kal. Maji, Pontificatus nostri Anno quarto.

G. Card. Prodat.

I. G. Slufius.

Visa de Curia S. de Pilastris.

D. Ciampinus.

LIX.

Suspensio quarumcumque Indulgentiarum durante Anno Universalis Jubilæi 1675.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Um nos nuper sancti Jubilæi celebrationem à Vigilia Nativitatis Domini nostri Jesu Christi anni proximi venturi inchoandam, & usque ad finem ejusdem anni duraturam, universo populo Christiano, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium assensu, indixerimus, ac omnibus utriusque sexus Christianidelibus vere penitentibus, & confessis, qui Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli Basilicas, Lateranen. quoque, & Sanctæ Mariæ Majoris Almæ Urbis Ecclesias visitarent, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem, & veniam concesserimus, prout in nostris nuper desuper confectis literis plenius continetur:

Causa hujus Constituit.

§. 1. Cupientes, ut Christianæ Nationes ex omnibus Terrarum Orbis locis in Alma Urbe nostra, in Fidei, ac Religionis unitate congregatæ, eodem pietatis, ac devotionis spiritu Basilicas, & Ecclesias prædictas, quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem Jubilæo, visitent, & frequentent, multorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo adducti:

Suspendit Summus Pontifex quascumque Indulgentias durante anno Universalis Jubilæi 1675.

§. 2. Omnes, & singulas Indulgentias, etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, ac facultates, & Indulta absolvendi etiam à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in literis dic Cœnæ Domini legi solitis contentis, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, etiam S. Joannis Hierosolymitani, Domibus, Militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, etiam Laicorum, Universitatibus, & Piis Locis, illorumque Ordinibus, Capitulis, Conventibus, Magistris, Superioribus, & tam sæcularibus, quam quorumvis etiam Mendicantium Ordinum Regularibus Personis, Coronisque, Granis, Imaginibus, & Numismatibus ex metallo, seu quacumque alia materia confectis, tam singulariter, quam universaliter, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam Nos, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum, aut ipsi etiam Imperatori, Regibus, Reginis, Ducibus, & Principibus, vel aliis quacumque alia mundana, vel Ecclesiastica dignitate, etiam speciali nota digna, fulgentibus, etiam ad instar Jubilæi, aut alias quomodocumque, & ex quibusvis causis, & occasionibus sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessas: quorum omnium tenores, formas, derogationes, & decreta præsentibus pro expressis haberi volumus Apostolica auctoritate, de eorumdem Fratrum consilio, & assensu, ac Apostolicæ potestatis plenitudine suspendimus, & suspensas esse declaramus, easque, & ea eodem anno durante, nulli prodesse, aut suffragari debere: Irritum quoque, & inane decernimus,

si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Quo circa per præsentis auctoritate Apostolica præcipimus, & mandamus, ne interim alia quam indicti à Nobis prædicti Jubilæi Indulgentiæ, sive publice, sive privatim, quovis prætextu, ubivis locorum, & gentium, sub excommunicationis eo ipso incurrendæ, aliisque arbitrio Ordinariorum, infligendis pœnis publicentur, vel nuncientur, aut in usum demandentur.

Prohibet alias indulgentias publicari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Confraternitatum, Universitatum, Collegiorum, & locorum, aliorumque prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & Indultis Apostolicis illis, eorumque superioribus, & personis, aliisque quibuscumque per eisdem Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, & dictam Sedem, ejusque Legatos, sub quicquid tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, & ex quibusvis causis concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam in illis caveatur expresse, quod sub similibus, vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur, nisi de illis specialis, & individua mentio fiat, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum præmissum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile nimis esset præsentis quocumque ubi illis opus fuerit perferri:

Contrariis quibuscumque derogat.

§. 5. Volumus earum exemplis, etiam impressis, Notarii publici manu, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsegnatis, eandem prorsus fidem in judicio, & extra ubique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suspensionis, declarationis, decreti, præcepti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpsit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Sanctio pœnalis.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto, Tertio nonas Maji, Pontificatus nostri Anno Quarto.

G. Cardinalis Prodatarius.

Dat. 3. nonas Maji 1674. An. 4.

Visa de Curia S. de Pilastris.

Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo Quarto, Indictione undecima, die vero decima septima Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papa Decimi Anno Quinto, superscriptæ literæ Apostolicæ in Atrio Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe publicatæ, & ad valvas ejusdem Basilicæ affixæ fuerunt, ac eadem postea publicatæ in Basilica S. Pauli, & in Ecclesia Lateranensi, & S. Mariæ Majoris de Urbe ad earundem valvas pariter affixæ fuerunt, prout similiter ad valvas Cancellariæ Apostolicæ, & Acie Campi Floræ, dimissis ibidem copiis, ut moris est, per nos Gregorium Staggium, & Agabium Magistros prælibati Sanctissimi D. N. Papa Cursores.

Publicatio.

Pro Mag. Curs. Laurentius Barbigionus
Decanus.

Præceptum